Dissertatio inauguralis medica de coffee / Quam ... praeside Ioann. Georg. Gmelin ... submittet auctor Ioan. Christoph. Samson Georgii.

Contributors

Georgii, Johann Christoph Samson.
Gmelin, Johann Georg, 1709-1755.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Erhardtianis, [1752]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wt6mgcd6

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

31

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

COFFEE,

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

DN. IOANN. GEORG. GMELIN,

VNIVERSITATIS h t. RECTORE MAGNIFICO,

MED. DOCT. BOT. ATQVE CHYM. PROF. PVBL. ORD.

FACVLTATIS SVAE p. t. DECANO SPECTATISSIMO,

DOMINO PROMOTORE, PRAECEPTORE ATQVE PATRONO PIE COLENDO,

AD CAPESSENDVM LEGITIME PRIVILEGIA ATQVE HONORES IN MEDICINA SVPREMOS,

PVBLICO EXAMINI ERVDITORVM SVBMITTIT

AVCTOR

IOAN. CHRISTOPH. SAMSON GEORGII,

Enzweihingensis,

AD DIEM XXII. NOV. H. L. Q. C. ANNO MDCCLII.

TVBINGAE

LITTERIS ERHARDTIANIS.

PRAEFATIO.

Miraberis, B. L. conſpiciens thema Diſſertationis de Coffee; materiam haud magni forſan ponderis Tibi viſam, parumque utilem; cum tamen iis, quæ magis proſunt, materiis abundemus. Miraberis, quod potus iſtius laudi, cui totus fere orbis favet, & cujus uſus in noſtra potiſſimum Suevia invaluit, adeo, ut inurbanum reputent, inviſentes hac potione non ad ſaturitatem usque expletos dimittere, quin etiam læſa omnibus hoſpitalitas videatur, ni epulis finitis, Coffee potum hoſpitibus proponant, quod inquam,

 potus

potus hujus magno a delicatis obtento pretio ac laudi, quidquam detrahere mihi ſumam. At majorem adhuc Tibi movebit admirationem, quod nimium potus Coffee abuſum, non ſolam quidem febris exanthematicæ, purpuræ dictæ (multum prohdolor apud nos graſſantis) cauſam eſſe, ſaltem ad ejus incrementum conferre, dixerim. Noli autem credere L. B. me Coffee potum odio habere, vel hiſce intendiſſe paginis, ut potum hunc, qui adeo in deliciis habetur, deteſtabilem atque exoſum reddere ſtudeam: Quodcunque aſſumes, egregie falleris: Poſterius enim ut efficerem, nimis mihi grave eſſet, & ſurdis me potius narraturum fabulam, facile mihi perſuaſum eſſet; Sed eo tendit animus, ut, quantum mei valeant humeri & præſtantiam hujus potus medice adhibiti & conſequentias graves ex abuſu ejus oriundas, non nimis difficili ratiocinio demonſtrem. Quare enixe me Tibi commendans exopto, ut quamvis non ex omni, ex aliqua ſaltem parte, Tibi ſatisfaciam.

AVCTOR.

§. I.

Quid Coffee ſit, quod alias etiam Coffea, Caffe, Coffi, Cava, Coave, Chavve, Cafe, Cophe, Chohava, Cahvvæ, Cahve, Cove, Kahve, Kahvee, Koffy, Kafe, Cahua, Choava, Bonna vocatur & ſcribitur, nemo erit, qui neſciat, plurimi enim vel hominum ex plebe perſpectum ſatis habent. Quo autem omnes diſſertationem hanc perlegentes, adæquatam deſcriptionem botanicam adquirant, ex LINNAEI generibus plantarum partes fructificationis, ſecundum numerum, figuram, ſitum & proportionem hic recenſere non abs re fore exiſtimavi, vid. LINNAEI Gen. Plant. Gen. 169.

CAL. Perianthium quadridentatum, minimum germini inſidens.

COROLL. Petalum infundibuliforme. Tubus cylindraceus, tenuis, calyce multoties longior: Limbus planus, quinquepartitus, tubo longior: laciniis lanceolatis: lateribus revolutis.

STAMEN. Filamenta quinque ſubulata, tubo corollæ impoſita. Antheræ lineares, incumbentes, longitudine filamentorum.

PISTILL. Germen ſubrotundum: Stylus ſimplex, longitudine corollæ: Stigmata duo, reflexa, ſubulata, craſſiuſcula.

PERIANTH. Bacca ſubrotunda, puncto umbilicato.

SEM. Bina, elliptico-hemiſphærica, hinc gibba, inde plana, membrana involuta.

A LVDWIGIO ad plantas flore perfecto, ſimplici, regulari, monopetalo, pentantheras, monoſtylas refertur. vid. Gener. Plant. gen 75.

§. II.

Sponte provenit hæc arbor, præſertim in Arabia felici & Perſia; in Americam translata magna in quantitate colitur, neque infrequenter in hortis botanicis & curioſorum reperitur. Variæ nobis afferuntur Coffee ſpecies, quæ præſtantia valde inter ſe differunt. Omnium autem optima ex Oriente translata cenſetur, atque Coffee de Levant appellatur, quæ cæteris minor atque pallidi coloris eſt, hanc ſequitur alia viridiuſculi coloris, Javanica dicta, infimæ autem notæ eſt, cujus ſemina ſunt majora, ex albo flaveſcentia, & ſub nomine Coffee Surinamici venit.

§. III.

Præparationem potus Coffee deſcribere, ſuperfluum omnino quid eſt, cum vel vinitorum ac ruſticorum uxores ea ſint imbutæ ſcientia, ordinis tamen gratia & hoc addam. Fabæ Coffee quantum placet torrentur ſub continua agitatione, vel vaſe aperto vel clauſo; ad caſtanearum colorem uſtulatæ rediguntur in pulverem, cum aqua coquuntur & decoctum fervens ſorbillatur. Quidam cum quidam ſine ſaccharo bibunt, quidam cum quidam ſine lacte, alii cinnamomum, alii lignum ſaſſafras, alii radicem liquiritiæ, alii aniſum ſtellatum vel noſtras; alii atque alii, alia cum pulvere Coffee permiſcent atque decoquunt, alii lacti vaccino ſive cremori ejus ſolia lauroceraſi addere ante hosce viginti annos noſtra memoria conſueverunt, quod lac deinde potui Coffee admiſcuerunt, ut gratum illi ſaporem emulſionis amygdalinæ conciliarent. Vid. Commerc. litter. Nor. ann. 1733. hebd. 15. pag. 119. in not. & hebd. 49. pag. 389. hunc vero morem noſtra etiam memoria rurſus exſpiraſſe notum eſt, quoniam toxica foliorum lauro-ceraſi virtus non tantum aquæ, ſed etiam ſpiritui vini facillime communicatur, cujus rei teſtimonia ampliſſima variis in locis idem exhibet commercium. Plurimi ſub ebullitione raſuræ cornu cervi tantillum idque non ſine omni ratione addunt; hoc enim miculas Coffee innatantes præcipitat, & potui colorem conciliat elegantiſſimum & pulchre pellucidum.

§. IV.

Porro ſunt, qui fabas Coffee crudas intoſtas aqua decoquunt, eoque decocto per quasdam utuntur hebdomades, magnamque ſanguinem purificandi, ventriculum roborandi, obſtructionesque præſertim glandularum meſenterii reſerandi, virtutem hinc ſibi promittunt, inter quos præcipue D. ANDRY hancce commendat methodum. Sed vix ac ne vix quidem tales ab eo expectari poſſunt effectus: Nihil enim præter mucilaginem quandam gelatinæ cornu cervi ſimilem, tantum aliquo inſulſiorem & nauſeoſæ dulcedinis obtinent; reliquum vero & quod optimum, ſal volatile & oleum balſamicum, intactum remanet.

§. V.

Ad ſequentium meliorem explicationem atque demonſtrationem neceſſe erit partes conſtitutivas tam fabarum crudarum & toſtarum, quam

quam infusi recensere. Cl. ille Chymicus, D. NEVMANN pulcherrime eas, chymica denudavit analysi, & crudum Coffee in naturali suo statu consideratum, 1.) plurima parte terrestri constare reperit, 2.) partibus gummoso-mucilaginosis, 3.) resinosis, 4.) aquosis, 5.) salinis & tandem 6.) oleosis, vid. ejus Prælect. Publ. de IV. subject. diæt. pag. 162 - 164. Coffee tostum constat ex terra indissolubili, præcipue gummi, resina, & pauxillo empyrevmatici, unde odor, olei, non minus & sale alcalino fixo. De sale volatili valde adhuc dubitat: Quamvis enim sub destillatione omnem ad id obtinendum curam adhibuerit atque laborem, nil tamen nisi paucas quasdam subtiles observavit strias. Alius autem æque celebris chymicus, LEMERY, magnam se ejus accepisse quantitatem affirmat; sequenti observatione adductus, plus LEMERYO quam NEVMANNO assentio. Quodsi enim Coffee fabas clauso vase, sufficienter, ut lubuerit, ustulaveris, vase tunc aperto, tanta circumdaberis nebula, spiculis salinis, volatilibus, sulphureque empyrevmatico prægnante, per os & nares ad pulmones penetrante eosdemque irritante, ut anxie satis respiraveris, tussisque exinde excitata, sat magnam tibi creaverit molestiam: annon hæc observatio salis volatilis quid indicat? Potus Coffee porro inquit NEVMANNVS, nihil est nisi solutio extracti gummosi, oleo subtiliori empyrevmatico paululum infecti. vid. ejusd. præl. publ. de IV. subj diæt. pag. 187. 188. Resinosæ autem partis quoque quidquam ei inesse, experimentum a SCHARSCHMIDIO allegatum, demonstrat. vid. Medicinischer, Chirurgischer, Berlinischer wöchentlicher Nachrichten 3ter Jahrgang. n. 26 - - 29. 1741.

§. VI.

His igitur præmissis ad virtutum potus nostri modice & medice usitati descriptionem, accedamus. Panaceæ omnino nomine insigniendus est, si omnia ab auctoribus data attributa sufficienti ratione, accuratis observationibus atque constante experientia essent fundata. Pauca modo hic allegabimus. FRANCKEN DE FRANCKENAV in flora sua francica rediviva prædicat, quod ventriculum roboret, humores acidos contemperet atque corrigat, flatus dissipet, crapulam a vino ortam solvat, alvum atque mesenterium aperiat, sanguinis circulationem & transpirationem promoveat, lieni atque hepati conducat,

ducat, in raucedine, catarrho, coryza valeat, in malo hypochondriaco, in tusse, asthmate, aliisque pulmonum vitiis magnum præstet usum, vim possideat nutrientem & antihypnoticam, tumores scirrhosos resolvat, uterum roboret & ad conceptionem aptiorem reddat, carum, paralysin, debilem memoriam, capitis dolores, stranguriam, apoplexiam &c. curet.

§. VII.

HELLWIG in Lexico suo physico-medico de hoc potu laudat: Quod obstructiones solvat, sanguinem attenuet & humores corrigat, quod roboret & nutriat, sudorem atque lotium promoveat, menses pellat, crapulam expugnet, capitis dolores mitiget, spasmos, convulsiones, hydropem, tabem atque scorbutum curet, flatus atque tormina discutiat, memoriæ vires augeat, atque alacres reddat homines &c.

§. VIII.

Ill. FRID. HOFFMANNVS in Med. Rat. Syst. Tom. I. Lib. II. cap. V. §. V. pag. 357. Potus Coffee ait, non modo ob calidam aquam proficuus est, sed & insuper terreo suo, amaricante, alcalino, oleoso principio, acido-viscidas sordes ex glandulosa intestinorum crusta eluit acidumque contemperat. In Scholio. Ingens quoque ab hisce potibus fructus est exspectandus, dum omnis generis succos reddunt fluidos, omnia emunctoria aperta servant, sanguinis circulum & hujus beneficio omnes excretiones, præsertim perspirationem promovent. Hæc sufficiant. Quisque ex his perspectum satis habebit, quanto virtutes opere potus Coffee extollant easque exaggerent. Silentio ergo prætereamus ea, quæ præprimis BONTEKOE, LVDOLFFVS, ZORNIVS, MAPPIVS, BAINESIVS, MAISNERVS, STRAVSIVS, multi gallorum aliique de ejus usu ac virtutibus tradiderunt.

§. IX.

Ex mea sententia in sequentibus potissimum morbis, adhibitis cautionibus necessariis usum exhibet atque virtutem. In diarrhœa nimirum, dysenteria, colica flatulenta, in doloribus capitis ex ventriculo male digerente ortum trahentibus; id quod jam BAGLIVVS in operibus suis pag. 76. annotavit. Cum de Caphe inciderit sermo, inquit, obiter moneo, potionem Caphe esse secretum infallibile, ad tollen-

tollendum capitis dolorem poſtmeridianum, qui vitio ſtomachi male digerentis nonnullas poſt prandium horas venit. Id in innumeris obſervavi ægrotantibus Romæ. Id in me ipſo quotidie obſervo. - - - Cum ſtomachus debilis valde ſit, tribus poſt prandium horis, dolore capitis, gravitate, mœrore, vexari incipio, quæ quoniam a ſtomacho male digerente fiunt, duos vel tres Caphe cyathos haurio, & momento temporis, ac fere ad miraculum, a malis prædictis me ſtatim libero. Ad roborandum ventriculum, juvandam coctionem & ſomnum profligandum æſtimo. Sanguinis circulum & inde dependentes excretiones promovere, concedo. Quando autem & in quibus ſubjectis tales expectandi ſint effectus medicamentoſi, vel plus vel minus, de his Cl. ALBERTI in diſſert. de Coffee potus uſu noxio. 1730. fuſius ſcripſit. Hæque ſunt virtutes, quas potui Coffee,, juſto modo præparato, modice & adæquato tempore adhibito adſcribimus.

§. X.

Inter alios a potu Coffee recenſitos uſus, reſtat unus adhuc dicendus. Diu nondum eſt, ex quo potus Coffee antifebrilis, ſub nomine germanico, Fieber-Caffee notus, a quibusdam noſtrum præſcribitur Medicorum. Quid ſit & ſibi velit, paucis allegabimus. Cortex nimirum Peruvianus notiſſimus, groſſo modo contuſus, Coffee toſto pulveriſato permixtus, eodem modo aqua decoquitur fontana, quo potus Coffee ordinarius. Sumunt ex gr. Cort. Peruv. pro adulto ℥ß. Coffee toſt. ℥j. vel duas, addunt pro re nata Cort. cul: lab. Cinnamom. ana ℥ß. vel alia quæcunque pro ratione ſymptomatum; mixta coquunt cum aquæ fontanæ ℔j. & mane veſperique addito lacte & ſaccharo omne quod decoctum eſt, ægrum haurire jubent. Quanta huic decocto Coffee virtus adſcribenda ſit antifebrilis, neſcio: vix ac ne vix quidem quidquam efficit; ſed ex ea potiſſimum ratione Coffee corticem immiſceri peruvianum arbitror, ut ingratum hujus atque nauſeoſum ſaporem paululum corrigat, & delicatiores ad corticis uſum eo lubentius quaſi ſeducantur. Circumferuntur etiam liquores quidam ſpirituoſi, gallicæ genti imprimis maxime uſitati, amœniſſimo toſti Coffee odore imbuti, multorum palatis maxime arridentes; de hiſce nil habemus, quod dicamus; non enim jam noſtrum eſt de liquorum ſpirituoſorum noxis & utilitatibus, quas corpori humano afferunt, prolixius diſſerere; Non tamen diffitemur, admixtum Coffee eo modo nocere non poſſe, quam nocet in ſolenni noſtro

 infuſo

infuſo; quoniam deſtillatio impedit, quo minus particulæ Coffee rudiores, obſtructionibus materiam præbentes, alembicum transcendere poſſint.

§. XI.

Progrediamur nunc ad ea, quæ ex abuſu potionis Coffee oriri ſolent incommoda atque mala. Nemo inficias ibit, Coffee abuſum ſummum fere apud nos, ſequiorem præprimis ſexum, aſſecutum eſſe faſtigium. Eadem quæ Ill. FRID. HOFFMANNVS de ſua, nos de noſtra, omni jure aſſerere poſſumus patria. Adeo in patria noſtra hujus potus uſus invaluit, ut quaſi Coffee-mania ubivis ferme regnare videatur, quum præſertim fœminæ nobilioris æque ac vilioris ſortis, quotidianum illum habeant, & non ſolum mane, ſed etiam poſt meridiem domi & foris convenientes eundem cupide ſorbillent, & ſe inviſentibus omnibus rationum ponderibus perſuadere geſtiant.

§. XII.

Sed quænam ſunt ea, quæ hicce abuſus profert incommoda? BAGLIVVS jam in operibus ſuis pag. 76. quædam annotavit. Potus nimius Caphe, dicit, capitis morbos producit, vigiliam, tremorem, calorem &c. Duos vidi ex Cophe nimio abuſu incidiſſe in tremorem brachii & debilitatem, ſtatimque convaluiſſe, ejusdem potione intermiſſa, nec niſi cum moderamine adhibita.

§. XIII.

NENTER in Phyſiolog. Cap. IV. Membr. IV. Art. II. Punct. II. §. 28. inquit: Cholericis parum prodeſt, & facile in iisdem palpitationes cordis ac artuum tremorem producit, imprimis ſi tempore matutino & vacuo adhuc ventriculo aſſumitur. Poſſem hoc confirmare multis exemplis eorum, quos familiariter novi.

§. XIV.

Porro videatur Ill. FRID. HOFFMANN. opuſc. med. pract. pag. 500. §. 16. Potum Caffee nemo facile noxium in ſe pronunciabit, utpote cum non modo Turcarum, ſed & Germanorum ſolemnis noſtris temporibus mos ſit, & ſummo mane & mox a cibo ſumto eum in maxima copia aſſumendi, nihilominus non ſine noxa ſæpenumero id fieri, experientia multiplici habemus confirmatum. Ejus enim nimius & fere quotidianus uſus infirmioribus maxime fœminis valde nocet, quæ nervorum & virium inſignem inde debilitatem

tem reportant, dum morbo vel puerperio accedente tam notabilis languor oritur, ut vires ſymptomatibus evincendis vix ac ne vix quidem ſufficiant. Novimus complures quoque viros a frequentiori ejus uſu tremorem manuum contraxiſſe, alios vigilia & ſenſuum imbecillitate preſſos fuiſſe: ſiquidem fabæ hæ arabicæ perinde ac aliæ fabarum ſpecies, oleo non adeo nervis blando ac amico, ſed gravi & adverſo ſunt imbutæ, quod jam debiles & languidos nervos plus debilitat.

§. XV.

Valde imo probabile eſt, largiorem potus Caffee nimis concentrati uſum noſtro jam tempore in ſexu ſequiori præcipuam exiſtere cauſam chloroſeos: fœminæ enim utplurimum parum adſumunt potulentorum, ita ut ſæpius vix ſemel intra unius diei dimenſum bibant, per quotidianas autem, quæ in corpore fiunt, excretiones multum a maſſa ſanguinis & humorum decedit fluidi, quod niſi reſtituatur, neceſſario humores evadunt ſpiſſiores, & ad liberiorem per minima vaſcula circuitum minus apti, ad infarctus contra & oppilationes, quæ chloroſeos cauſa, magis exiſtunt idonei. Quodſi autem fit, ut bibant, ſolo potu Caffee, tanquam nectare, ſpretis vino, cereviſia, aqua pura, acidulis ſeſe ingurgitant. Quid ergo impedit, quo minus ſtatuamus, ſanguinem, præſertim fœminarum vitæ otioſæ deditarum earumque, quæ adſtrictioris ſunt alvi, ſupra dicto modo ſpiſſiorem jam exiſtentem, multis heterogeneis, aduſtis & oleoſis imbui particulis, harumque, niſi ſufficiens cum ipſa bile per hepatis ductus excretorios fiat ſeparatio, & colorem & qualitatem jam pravæ indolis in pejorem cum tempore immutari?

§. XVI.

Multos adhuc ex abuſu hujus potionis oriri poſſe morbos, res eſt extra omnis dubitationis aleam poſita, quos omnes allegare eorumque originem demonſtrare, ſpatium nimis foret anguſtum. Plura evolvi poſſunt in Diſſertatione D. PLAZ de potus Coffee abuſu, catalogum morborum augente, reſp. J. G. GLEDITSCH 1733. Lipſiæ. Indicaſſe nobis ſufficit §. V. Caffee toſtum ejusque infuſum reſinoſis, empyrevmaticis, calidis & ſanitati utplurimum non conducentibus, quoad maximam partem indiſſolubilibus & niſi mere terreſtribus, reſpective tamen fixioribus, gummoſis, ſpiſſioribus atque gravioribus conſtare partibus. Quid vero quæſo boni hæ producant in corpore humano? cum inſuper ſolo jam potu non contenti fabas

 toſtas

toſtas comedant, atque ſedimentum avide multi deglutiant. Unde obſtructiones, anxietates circa præcordia, cordis palpitationes, tremor artuum, pallor faciei aliaque incommoda.

§. XVII.

In præfatione dixi, me nimium potionis Caffee abuſum non qua ſolam quidem & primariam accuſare purpuræ cauſam, ſaltem ad incrementum ejus conferre eſſe perſuaſum; id quod explicandum atque probandum mihi adhuc incumbit. Quo autem eo clarius hoc atque diſtinctius demonſtrem, de purpuræ ætate atque geneſi quædam ſunt præmittenda.

§. XVIII.

Purpurata febris, poſtquam circa annum 1652. Lipſiæ primum cœpit, ſucceſſive adeo vires ſumſit & longe lateque proceſſit, ut in plurimis Germaniæ minimum locis jam nota ſit atque ſolennis. Anno MDCCXXIII. primum comparuit Francofurti ad Mœnum. In Würtembergia noſtra & Tubingæ imprimis vetus fama fert, morbum in nobili quodam Saxone anno circiter hujus ſeculi XVIII. primum fuiſſe obſervatum. vid MAGNIF. DN. PRAES. Diſs. de febre miliari §. VI. Differunt ratione ætatis inter ſe Auctores: Quidam purpuram veteribus quibusdam jam a ſeculis ſatis cognitum fuiſſe morbum contendunt, quidam & recentiores potiſſimum a nonaginta vel centum annis demum invaluiſſe affirmant. Solum ex recentioribus audiamus KRVGERVM in ſeiner Natur-Lehr dritten Theil, pag. 223. § 217. dicentem: Dieſe Krankheit, ſcil. purpura, iſt den Alten entweder gar nicht oder wenig bekannt geweſen, wie ſie dann auch in einem Lande gewöhnlicher als in dem andern iſt, und wer an dem Friſel zum Ritter werden wolte, der würde ſeinen Feind nicht in Rußland oder Schweden, ſondern in Sachſen aufſuchen müſſen. Kurz, es ſcheinet, daß das Friſel eine Erfindung der neueſten Zeiten ſey, weil man nur ſeit 100. Jahren etwas davon gewußt hat; und den Aerzten iſt dadurch der Vortheil zugewachſen, ihre Wiſſenſchaft mit einem neuen Capital zu bereichern. In dem 2ten Theil pag. 324. §. 169. Und was ſoll man von dem Friſel ſagen, welches eine Krankheit iſt, die die Menſchen ſelber hervorzubringen in unſern Tagen die Geſchiklichkeit gehabt haben, und welche nun dergeſtalt zur Mode geworden, daß es beſonders hier in Sachſen bey dem Frauenzimmer, wann

ſie

sie sich im Kindbette befinden, fast nothwendig zu seyn scheinet? (non de Saxonicis solum, sed de Suevicis quoque hoc dicere licet) Ich rede nicht von gemeinen Leuten; dann diese haben die Ehre nicht eine Krankheit zu bekommen, die eine Tochter einer sehr fruchtbaren Mutter, dergleichen eine übermäsige Zärtlichkeit ist, genennt werden könnte. Gewis vornehme Leute thun sehr wohl, daß sie sich in allen Stüken von dem Pöbel zu unterscheiden suchen. Der gemeine Mann ist beständig gesund, ware es also nicht nöthig, sich neue Krankheiten zu verschaffen, um an einer so nothwendigen Sache niemals einen Mangel zu haben. Daß aber in der That das Frisel eine Krankheit seye, welche unsere Vorfahrer entweder gar nicht, oder doch nicht so häuffig gehabt, bezeugen die Nachrichten der Arzney-Verständigen aus älteren Zeiten. Dann man wird finden, daß das Frisel nur so lange Mode gewesen, als das Caffee trinken gemein geworden.

§. XIX.

Ex his oritur quæstio, quam diu Coffee potatio moris sit? NEVMANNVS multis de hac materia perlectis libris atque scriptis, certissima fide niti asseverat, fructum Coffee anno MDCL. primum Massiliam transmissum, post in Angliam & Hollandiam demum & ad nos esse translatum. Triginta & quod excedit sunt anni, uti MAGNIF. DN. PRAESES mihi retulit, ex quo hic Tubingæ potatio hujus infusi inchoata est. Quo vero anno ex. gr. Lipsiæ, Francofurti &c. primo huncce potum gustaverint, me fugit, cum nec NEVMANNVS, nec alii quandam de eo faciant mentionem, præter id, quod præcedenti §. XVIII. allegatus KRVGERVS generaliter ait. Tantum saltem ex hoc colligere licet, quod, cum anno MDCLII. Lipsiæ primum purpura innotuit, & ex eo tempore per totam Germaniam sese extendit, teste Ill. FRID. HOFFMANNO, Coffee autem ejusque potatio in Gallia & Anglia octoginta vel centum, in Germania autem nostra quinquaginta vel sexaginta annis invaluit, quod, inquam, haud magna ætatis purpuræ & Caffee potus differentia intercedat; consequenter quod Caffee potus ad purpuram procreandam non parum ratione temporis & ætatis utriusque potuerit conferre.

§. XX.

Ad rem vero eo melius enucleandam & scopum præfixum consequendum, internas nunc purpuræ causas indagabo. Sed hic hæret

aqua ! omnes enim inter ſe differunt Auctores atque diſſentiunt; unusquisque aliam fovet ſententiam, nec ex obſervationibus, nec ex cadaverum ſectionibus ſatis perſpectas eas habemus. Tutiſſimum igitur fore arbitror, ſi cum Viris quibusdam Celeberrimis atque Illuſtriſſimis ſentiam, & demonſtrem, an infuſum Coffee vel potius ejus abuſus tales producere valeat effectus, nec ne. Sub abuſu autem non ea tantum intelligimus, quæ in fine §. XVI. allegavimus, ſed injuſtam quoque præparationem, ſi videlicet aut fabæ nimis ſunt toſtæ, aut nimia quantitas ad infuſum adhibetur, aut tempus ad ſubſidendum neceſſarium negligitur, aut etiam ſi inconvenienti tempore ſorbillatur.

§. XXI.

MAGNIFICVS DOMINVS PRAESES in Diſſert. de febre miliari, reſp. Dn. Lic. VARENBÜLERO 1752. §. XXVIII. p. 25. ait: Summa veriſimilitudine gaudet, cauſam papularum miliarium in corpore latere & provenire ab ipſa febre, quæ materiam criticam ad peripheriam corporis pellere annititur, ibi autem expellere nequit, ſive hoc vitio liquidorum transmittendorum, ſive canalium transmittentium, ſive utrorumque fiat; In liquidis transmittendis vix culpam latere poſſe, cum tenuiſſima ſint; Canales itaque forte eſſe obſtructos, in quibus coercetur hæc materia. Infuſum autem Coffee nihil eſto, niſi ſolutio extracti gummoſi pauxillo reſinæ & olei empyrevmatici ſubtilioris impregnati. Num autem partes hæ in corpore humano adeo ſecernantur, ut nec quidquam earum liquidis per canales transmittendis permiſceatur? Num partes gummoſæ & reſinoſæ, licet ſolutæ, humores noſtros a natura omnino tenuiſſimos, non quadam imbuant tenacitate atque denſitate, ut iſti humores ad tranſitum per vaſa minus ſint idonei? Vix ac ne vix quidem quadam gaudet probabilitate. De partibus terreſtribus nil dicam, quisque enim ſatis perſpiciet, eas ad canales quoscunque obſtruendos, non parum conferre.

§. XXII.

Cauſa purpuræ rubræ materialis eſt, ſerum impurum, ſalſum, acre, ſulphureum, excrementitium; alba vero & acuta miliaris, a lympha & ſucco nutritio ad acido-vappidam, putridam naturam accedente, ſuboritur. Cauſæ remotæ ſive procatarcticæ omnia ea ſunt, quæ ſuccorum abundantiam ingignunt. Evenit autem hoc in iis, qui lauto & pollucibili victu, item qui potu parco, craſſo, & aqua impura & ſqualida utuntur, qui alvum gerunt ſtrictiorem, qui

vigiliis

vigiliis & meditationibus impensioribus robur atterunt. &c. &c. Hæc sunt verba Ill. FRID. HOFFMANNI. Quodsi nunc ea, quæ Ill. hic Vir, & ea, quæ nos §. V. de Coffee tosto ejusque infuso & §. XVI. & XX. de ejus abusu diximus, paulo adcuratius perpendamus, facile patebit, terram illam indissolubilem, partem illam & gummosam & resinosam & salinam, oleum empyrevmaticum tam crassum quam subtile, non posse non sordes in corpore gignere humano atque humores immutare adeo, ut necessario propria vi sua a centro ad peripheriam expellente & exæstuante, tales tandem protrudant pustulas, quales in alba & rubra conspiciuntur purpura.

§. XXIII.

Ad producendam purpuram dicit KRVGER in seiner Natur-Lehr 2ten Theil, pag. 325. omnis cardo in eo præcipue vertitur, ut tenax quædam materia in poros impellatur, pori autem ad ejus transitum non satis sint aperti. Quod nunc ad Coffee infusum spectat, demonstravi, id plurimam partem ex solutione partium gummosarum constare, quæ ad cutis poros deferuntur, ibique tam diu libere permeant, quam diu satis sunt aperti, cum autem a minimo quocunque aëris frigidiusculi attactu occludantur, fieri solet, ut materia hæc, per insensibilem modo transpirationem sensim & sensim educenda, in poris hæreat atque pruritum pariat.

§. XXIV.

Quotidianæ & experientia & observationes docent, non plebejos & inopes, aqua pura vel lacte, vel vino sese reficientes, purpura infestari, & si contingat, rarissimum esse exemplum, sed honoratiores, opulentos, qui laute vivunt, & potus calidos in deliciis habent. Multos autem purpura jam esse correptos, qui nunquam Coffee viderunt, haud negaverim, nec contendam, purpuram, prius quam Coffee potatio moris facta est, morbum fuisse plane incognitum, sed in hac perstare mihi licebit sententia, quod ratione purpuræ Coffee potatio valde suspecta, & nisi ejus causis proximis, tamen remotis procatarcticis omni jure sit adnumeranda.

§. XXV.

Quæstionem, an infusum Coffee cum vel sine lacte, cum vel sine saccharo sit usurpandum, uniuscujusvis gustus optime decidet; acredine tamen in ventriculo & multo muco atque pituita in pectore laborantibus, consultius duco, si nullum lac & parum sacchari addant.

dant. Quando maxime conducat, an mane, an ſtatim poſt prandium, an præteritis antea horis quibusdam, an noctu, propter varietatem ſubjectorum difficile eſt determinatu. Plura de his in Diſſert. Cl. MICH. ALBERTI, reſp. GRIMMANN, de Coffee potus uſu noxio, 1730. §. IV. pag. 23 - - 26. Duobus vel tribus poſt prandium horis optimum eſſe in me ipſo expertus ſum, & multi jam mihi retulerunt, quod hoc tempore eo uſi cordis palpitationes, anxietates circa præcordia & artuum tremores vel plane non vel ſaltim multo minori gradu, quam mane obſeruarint.

Optandum omnino eſſet, ut quilibet ſuæ magis proſpiceret ſanitati, & paulo majori mentis trutina perpenderet, quam longe nos a diæta majorum, qui provectiorem ætatem aſſecuti ſunt, aberremus. Plurimi certe morbi nos invadentes a ſolis diætæ erroribus ſuam trahunt originem; Quot & quantos modo ratione potulentorum, quotidie committimus? Certe

Sanior eſſe potes, ſi cum moderamine potes.

Non quantum velis, ſed quantum debeas, non quid cupias, ſed quid conveniat; ſed ſua quemque trahit voluptas, & hic terminus eſto!

T A N T V M.

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

HVIVS DISSERTATIONIS AVCTORI

PRAESES.

In laudes Tuas, quas ſtudio Tuo indefeſſo Tibi comparaſti, vel & hac diſſertatione conſcribenda omni nomine promeritus es, amplius ut excurram, non opus eſſe cenſeo. Res ipſa loquitur. Voluiſti publicum eruditionis Tuæ ſpecimen edere. Quare nihil plane mutare e re viſum eſt, ut Tuum id ſpecimen citra ullam veritatis diſſimulationem agnoſcant omnes. Equidem nollem in omnibus Tecum ſentire. Videris mihi ſale volatili infuſi Coffeæ aliquanto nimis eſſe liberalis. Tempora etiam purpuræ & potus Coffeæ nimium adhuc a ſe invicem diſſentire videntur, quam ut conſenſus eorum ea ratione extorqueri queat, quum Tu optas. Nihil tamen obſtat, quo minus laudem conatus Tuos & Optimo, eoque maxime Reuerendo Parenti Tuo & venerandæ Matri honores filii ex animo gratuler, Tuoque me ulterius amori commendem. Vale. Scripſi d. XVII. Novembr. CIↃIↃCCLII.